



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXX. Argumentum. Formam Sacramenti Baptismi explicat hæc Decisio, referens errores hæreticorum circa illam, & docens quæ verba sint in ipsa forma de Præcepto tantùm, & quæ de ejus essentia? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

lutio capillorum & disputat Emin. Cardin. de Lugo in *Responsis Moralib. lib. 1. dub. 1.* pro utraque parte; & quidem pro negativa, quam tenent Bonacin. de *Sacram. disp. 2. quest. 2. punct. 3. num. 21.* Roderic. in *sum. par. 1. cap. 25. Concl. 2. in fine.* Jo. de Cruz in *Direct. Conf. p. 2. q. 2. de Baptism. dub. 2. concl. 1.* Sylvius in *3. par. q. 66. artic. 7.* & Panimoll. *decis. 104. num. 3.* Facit hæc ratio, quod capilli non sunt pars hominis, sed quædam superfuitas, & excrementum non informatum anima; & ideo rescinduntur sine dolore, & sine sensu. E contra facit pro affirmativa, qui capilli sunt vera pars corporis humani, deservientes tum ad ornatum, tum ad fovendam cutem capitis, & secundum Philosophos probabilior est opinio, eos informari anima rationali, & nutrir per subtilissimas venulas in ipsis existentes; ideoque in statu beatifico corpora gloriosa habebunt suos capillos, juxta promissionem Christi: *Et capillus de capite vestro non peribit.* Joan. 11. 1. & qui debet tangere caput, satisfacit tangendo capillos, ut Episcopus in ordinatione Presbyteri. Ideo hanc affirmativam opinionem amplexati sunt Eminentiss. Cardin. Toletus in *sum. lib. 2. cap. 18. num. 10.* Valentia *tom. 4. disp. 4. q. 5. punct. 2.* Henriquez, Coninch, Graffius, Possevinus, & alii citati per ipsum Emin. Cardin. de Lugo *d. lib. 1. dub. 1. num. 3.* quibus adstipulatur Gobat *d. tract. 2. n. 53.* Cæterum vera est responsio, Baptismum in hoc casu esse dubium; idcirco repetendum sub conditione, ut resolvit idem Emin. de Lugo. *d. dub. 1. n. 10.* Layman. *d. lib. 5. tract. 2. c. 3. sub num. 3. Vers. Eademque ratio;* & novissimè Mastrius in *4. sent. d. disput. 2. n. 47.* & in *Theolog. Moral. d. disput. 17. num. 21. in fine.* & num. 22.

Quo ad sextum: Et si *Aversa q. 64. sect. 2.* velit, Baptismum esse validum, dum baptizatur infans inclusus in Secundina, dummodò membrana illa ita subtilis, & porosa sit, ut aqua ad ipsum corpus possit permeare, & circa illud fluere, quod approbat Gobat *d. tract. 2. num. 58.* & num. 654. extendens id etiam ad umbilici ablutionem; nihilominus communis est opinio DD. *supracitatorum*, Baptismum esse dubium, & sic sub conditione repetendum.

Quo ad Septimum: Non esse capacem Baptismi hominem non natum, & adhuc in utero Matris existentem, docuerunt plures DD. quos cumulat, & sectatur Comitulus *resp. Mor. lib. 1. q. 13. per text. in maternis 115. de Consecrat. dist. 4.* Et Mastrius in *Theol. Moral. d. disp. 17. num. 41.* Sed contrariam opinionem tenent Lessius in *3. p. quest. 68. num. 31.* Layman. *d. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 2.* & Gobat *d. tract. 2. de Baptismo num. 56. & 57.* ubi ex judicio Medicorum refert, in puerperio adeo aperiri matricem, in qua est infans, ut ab obstetrice tangi possit, & per eam digitis aqua madefactis, in periculo suffocationis, posse baptizari; vel aliquo tubo, seu chirurgico instrumento aquam calidam per os vulvæ, usque ad matricem infundi, qua fetus tingatur, & prolatione formæ baptizetur; si tamen vivus egrediatur, erit rebaptizandus sub conditione. Eminen. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. de Baptismo num. 36. & 37.*

Quo ad Octavum: Communis est opinio Doctorum, Apostolos baptizasse fideles ad fidem conversos per aquæ aspersionem, eò quia videtur difficile intellectu, quod una die fermè tria mil-

lia hominum baptizaverint, ut legitur *Act. 2. 41.* Pocrò est probabilissima sententia, per aquæ infusionem datum iisdem fuisse Baptismum; sicut enim una die Episcopus sacro Chrismate tot pueros signare solet, sic Apostolos baptizare potuisse est credendum; Layman. *d. cap. 3. n. 1. Coroll. 3.* præcipuè quia non soli Apostoli conversos sacro laticè tangebant, quamvis essent duodecim, sed secum erat turba fratrum ferè centum viginti, qui omnes ministri Baptismi esse potuerunt, ut subtiliter, & prudenter considerat Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. de Baptismo num. 37.*

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Formam Sacramenti Baptismi explicat hæc Decisio, referens errores hæreticorum circa illam, & docens quæ verba sint in ipsa forma de Præcepto tantum, & quæ de ejus essentia? Plures quæstiones scitu necessariæ, ac curiosæ deciduntur attinentes ad ipsam formam. Baptizare extra Ecclesiam non licet, duobus casibus exceptis, nempe necessitatis, & Filiorum Principum.

SUMMARIUM.

- 1 Forma Baptismi quoniam sit? & num. 7.
- 2 Errores hæreticorum circa formam Baptismi.
- 3 Verba in forma Baptismi, quæ sint de ejus essentia?
- 4 Differentia in Baptismo cum verbis Latinis, & cum Italicis.
- 5 In nomine Christi an sit forma Baptismi?
- 6 An in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque?
- 7 Masculus si baptizetur, & credatur femina; vel è contra, an sit validus Baptismus?
- 8 Verba forme Baptismi an invertere obstat ejus validitati?
- 9 Locus dandi Baptismum est Ecclesia, exceptis Filiis Principum, & necessitatis casibus.
- 10 Liberos appellacione veniunt Nepotes, Pronepotes, & alii descendentes ab eis.

ENucleata prima parte Sacramenti Baptismi, nempe materia, transeundum est ad secundam. Ideò quaeritur, Quæ sit forma Baptismi? Respondent DD. formam Baptismi in Ecclesia Latina esse: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* In Ecclesia autem Græca: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Pro intelligentia sunt notanda sequentia.

Primum. Quod Hæretici Eutyhiani, & Eunomiani laceraverant totam formam, & baptizabant: In morte Domini. Soerat *Hist. Tripartite lib. 9. Ar. 2.* riani dicebant: *Ego te baptizo in nomine Patris per Filium, in Spiritu Sancto.* Niceph. *lib. 10. Hist. cap. 35.* Sabelciani, & Gnostici baptizabant in nomine Dei. Irenæus *lib. 1. advers. hæres. cap. 18.* Lutherani, & Zuinglistæ asserunt, formam esse ad libitum cujuscumque; quia Christus non præcepit Apostolis, ut hæc, vel illa verba baptizando servarent. Emin. Cardin. de Lauræa *dict. disp. 12. de Baptismo num. 39.*

Secun-

Secundum. Forma Baptismi consistit in verbis experimentibus actum Baptizandi, Baptizantem, Baptizatum, & Personas Sanctissimæ Trinitatis; siquidem in Baptismo duplex intervenit causa. Una principalis quæ est Sanctissima Trinitas: & alia Instrumentalis, quæ est Minister baptizans, & ideo utraque exprimi debet, & si quis dixerit, abluendo puerum, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: & non dixerit: *Ego te baptizo*; nihil agit. cap. 1. De Baptismo. Et decidimus supra De Sacramentis in genere Decif. 8. Græcorum forma continet virtualiter actum prædictum, & personam Ministri; quamvis non exprimat illum, ex eo quod antiquitus videbatur multis, virtutem Baptismi posse attribui ipsi Ministro, & ad hunc errorem evitandum, voluerunt non exprimere Ministri personam. *Mastrius in Theol. Mor. d. disp. 17. num. 26. & 27.* ubi tamen advertit, licitum quidem esse tacere personam Ministri, sed non etiam illam excludere; non enim esset Baptismus, si diceretur: *Baptizat te Christus, & non ego. In nomine Patris, &c.*

Tertium: Propterea in nostra Forma Ecclesiæ Latinæ, & alia Verba sunt de necessitate Sacramenti, nempe *Baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quia *ly Baptizo*, significatur Minister. *Ly Te*, persona baptizata, nam nemo seipsum potest baptizare. *Ly In nomine* Unitas divinarum Personarum. *Ly Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Expressio Sanctissimæ Trinitatis. Alia Verba sunt de Præcepto; videlicet, *Ly Ego, In, & Amen*, ac Idioma Latinum, quando baptizatur ex officio. *Eminen. Cardin. de Lauræa d. disp. 12. num. 45.* Gobat d. tract. 2. num. 69. ubi prudenter admittit in Idiomate Latino: nam in Italico, *ly Ego, & In*, sunt de essentia Sacramenti, nam nihil ageret, qui Italicè baptizando diceret: *Battezo, N. In nomine del Padre, del Figliuolo, dello Spirito Santo.*

Quartum: Ex quibus deducitur, esse Baptismum irritum, si dicatur: *Ego te Baptizo in Nomine Christi*, sive *in Nomine trium Personarum*, aut *in Nomine SS. Trinitatis*. Neque valet dicere, quod in principio Ecclesiæ Apostoli baptizabant in nomine Jesu, ut legitur in *Actib. Apost. cap. 2. num. 28.* ibi *Baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi*. Et cap. 10. 48. *Missit eos (Petrus) baptizari in Nomine Domini Jesu Christi*. Et c. 19. 5. *His auditis, baptizati sunt in Nomine Domini Jesu*. Quia in hac celebri, & in Scholis agitata questione, est dixerint antiquiores Theologi, & Sancti Doctores, talem formam servasse Apostolos ex dispensatione divina, ut nomen Christi JESU reciperetur cum veneratione. *S. Thom. 3. p. q. 66. art. 6.* Scotus in 4. d. 3. q. 2. sub. l. S. Bonav. *ibid. q. 2. num. 27.* & alii, quos allegat *Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 52. & 54.* tenenda est opinio *Eminentiss. Card. Bellarmini, & aliorum Recentiorum*, præcipuè *Vasquezii tom. 2. in 3. p. disp. 143. cap. 2. n. 7.* & *Suarezii disp. 21. sect. 3. n. 3.* acriter defendentium contrarium, & docentium, non potuisse Apostolos immutare formam Baptismi, quæ est de Jure Divino, & de cujus dispensatione non constat; articulumque Sanctissimæ Trinitatis fuisse credendum explicitè à Baptizandis; ideoque *tex. Act. Apost.* supradictos intelligendos esse de Baptismo, in nomine Christi JESU dato per Apostolos fidelibus, ad differentiam Baptismi Joannis; vel, quod magis placet, formam

Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

Baptismi, tunc per Apostolos adhibitam fuisse: *Ego te Baptizo in Nomine Patris, & JESU CHRISTI ejus Filii, & Spiritus Sancti*. Sic enim exprimebantur tres ipsæ Personæ SS. Trinitatis, & nomen JESU CHRISTI venerabatur. Sanctus *Cyprian. epist. 73.* quem allegat *Mastrius in 4. sent. disp. 2. de Baptism. num. 55. & in ejus Theol. Morali d. disp. 17. num. 28.* Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 4. num. 3. *Pers. Atque hæc quidem explicatio.* Et *Gobat d. tract. 2. de Baptismo num. 65. & 68.* His omnibus DD. ad stipulatur etiam *Cornelius à Lapide in Act. Apost. cap. 2. Vers. 38.* ubi inquit: *Fortasse Apostolos primis illis temporibus formæ Baptismi addidisse Nomen Jesu Christi dicendo: Ego te baptizo In nomine Patris, & Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti; ut huic novo nomini fidem, amorem, & reverentiam conciliarent;* concludens, quod omnino Apostoli in primis instruebant baptizandos circa tres personas SS. Trinitatis, deinde eos baptizabant exprimendo omnes tres personas SS. Trinitatis, & dicendo *Ego te baptizo In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Quartum tandem notandum fuit, esse Baptismum nullum, si dicatur in *Nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*; quia non exprimentur Divinæ Personæ sub propriis rationibus juxta formam à Christo traditam. Esse autem validum, si quis baptizet foeminam, credens esse masculum, & è contra; quia licet Minister speculative erret, tamen practice non errat, dirigendo actionem suam in illam personam. *Panimoll. d. decif. 4. num. 7.* ubi DD. Contrarium tamen notat *Zacchias in Q. Q. Medicolegal. tom. 1. lib. 7. tit. 1. q. 8. num. 9.* citans *Petrum Gerardum à Petra Sancta, antiquum Jurisconsultum, qui in singul. 90. ita docuit, subdens hanc rationem: Quia oportet quod intentio baptizantis fundetur super vero. Cap. Quamvis. cap. Solent. De consecrat. dist. 4. Secus si de hoc non cogitabat, sed simpliciter baptizabat. Ita determinat Hostiensis in Summa de Baptismo §. Quæ sit ejus forma. Vers. Quid ergo si quis pater. Studiosus Lector cogitet, est enim casus satis curiosus, & qui de facili potest occurrere.*

Ultimò esse bonum Baptismum, secundum opinionem probabiliorum, si quis inventat verba formæ, dicendo: *Ego baptizo te, in Nomine Spiritus Sancti, Filii, & Patris; vel Patris, & Spiritus Sancti, & Filii*: peccaret tamen mortaliter qui sic facere auderet *Mastr. in Theol. Morali d. disp. 17. nu. 30. & 31.* Gobat d. tr. 2. de Baptismo. à num. 73. & seqq. Et *Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 4. n. 4.* ubi alias formæ mutationes enucleant, à curiosis, imò studiosis videndas.

Tandem non est ignoranda germana resolutio etiam sequentis *Quæriti*, scilicet *Quo in loco baptizandum sit?* Circa quod omnes DD. dicunt, Baptismum esse administrandum in Ecclesia habente fontem Baptismalem, nisi agatur de Filiis Principum, vel simis in casu necessitatis, juxta *Clement. Unicam de Baptismo*, quæ sic decernit: *Presenti prohibemus edicto, ne quis de cætero, in Aulis, vel Cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, & aut talis necessitas emerit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare.* Duo igitur casus excipiuntur, in quibus licet in domo privata

vata baptizare. Unus est, si infans baptizandus sit filius Regis, vel Principis, seu alterius Comitum, Ducum, vel Baronum habentis merum, & mixtum Imperium in subditos; ut absque dubio est Dux Venetiarum; quamvis alii Nobiles Veneti de Consilio Rogatorum, Procuratores Sancti Marci, aut alias principales Reipublice Praefecturas, Magistratusve exercentes, pro eorum egregia pietate, & Religione, filios suos ad Ecclesiam Parochialem baptizandos deferant. Appellatione vero liberorum veniunt Nepotes, & Pronepotes, alique ex eis descendentes. *l. Liberos, ff. de Verb. signific. Gobat d. tract. 2. de Baptism. n. 492. & 493. Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 1. num. 15. Alter casus est necessitatis, comprehendens periculum mortis ipsius infantis, gravissime incommodi; e. g. si caelum pluvium sit hyberno tempore, viaque difficillima ob glaciem, vel nives; ac etiam timor sit alicujus infamiae, puta si mulier nobilis ex illicita, occulta tamen copula, peperisset; ut considerat idem Gobat d. tract. 2. num. 500. 503. & 504. & seqq. addens, quod omittit caeremonias ab Ecclesia ordinatas in Baptismo, si infans vivat, & cesset impedimentum, est peccatum mortale; quia caeremonias, & ritus sacros semper Ecclesia Catholica magnificavit; & haereticorum est eas, & illos spernere; ut late probat Layman. cit. lib. 5. tract. 2. cap. 8. num. 3.*

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM

Disquiritur an duo Ministri esse possint in baptizando simul unicum infantem? Proponuntur, & resolvuntur duo casus satis curiosi, sed practici, de duplici Ministro in uno, ac eodem Baptismate.

SUMMARIUM.

1. Minister Baptismi unicus esse debet in baptizando.
2. Ministri duo in eodem baptismo an esse possint in casu necessitatis?
3. Parochi duo eundem infantem eodem tempore an valide baptizent?

EX his, quae hucusque docuimus circa materiam, & formam Baptismi in abstracto, resolvendi veniunt duo casus concernentes utramque in concreto. Itaque primus casus est: Dum Capellanus baptizat infantem, Parochus superveniens infundit aquam super caput pueri, & Capellanus formam profert. Queritur, an validus sit Baptismus?

Non esse validum Baptismum, omnes respondent ex communi Theologorum sententia; quam tenet S. Thom. 3. p. q. 67. art. 6. Scotus in 4. dist. 6. q. 2. sub. E. S. Bonavent. *ibid. part. 1. q. 1. Mairius in 4. sent. d. disp. 2. n. 68.* ubi dat exemplum, si ille, qui aquam effundit, sit mutus; ille autem, qui formam profert, sit mancus. Idem Mairius in *sua Theol. Moral. cit. disp. 17. num. 36.* Et Eminent. Card. de Lauræa *disp. 15. de Ministro Baptism. n. 48.* Ratio est, quia talis Baptismus est contra institutionem Christi, qui praecipit, ut unus, & idem sit, qui abluit, & formam proferat, ad hoc ut verificetur actus ille baptizandi, non potest autem verificari, quando Capellanus dicit, *Ego te bapti-*

zo; & tamen ipse non baptizat; quia aquam non infundit; ex qua aqua infusione pender verificatio ablutionis tum corporalis, tum spiritualis in anima; quam non causat, qui verba profert. Ita alii DD. apud Dianam par. 5. tract. 6. ref. 2. quae jacet in Coordinato tom. 1. tract. 1. ref. 65. Caeterum praeter ipsos DD. à Diana citatos Cajetanus, & alii, quibus novissimè adherent Steph. nus 2. à S. Paulo in *Theol. Moral. tract. 5. disp. 2. nu. 12.* Chapeville de *Baptism. q. 20.* & Gobat d. *tract. 2. de Baptism. 147.* opinantur, talem modum baptizandi posse practicari in casu extremae necessitatis, & periculi mortis ipsius infantis, puta si mulier, quae effundit aquam, nesciat formam Baptismi; & alia mulier sciens non possit effundere aquam; vel se infans moribundus sit in domo peste infecta, & obserata, in quam Parochus non possit ingredi; nam poterit per fenestram apertam dicere, *Ego te baptizo, &c.* dum interim ejus mater infundit aquam super infantem. Ratio desumitur, ex *cap. Potest de Regul. Jur. in 6.* ubi dicitur: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Ergo qui profert formam baptismi jubendo alij, ut infundat aquam, videtur ipse eam infundere; & sic Baptismus valere. Confirmatur ex *l. 1. §. Dejecisse, ff. de Vi, & vi armata;* ubi Ulpianus ait: *Dejecisse autem etiam is videtur, qui mandavit, vel jussit, ut aliquid deiceretur. Parvi enim referre visum est, suis manibus quis deiciat, an vero per alium.* Igitur idem est fundere aquam in baptismum propriis manibus baptizantis, vel ejus jussu manu alterius. Contrarium tamen est verius, quia Regula praedicta non procedit, quando actus nequit transmitti in alium, ut ab eo efficiatur, ut bene observat F. Vincentius Taccinus de Castrofranco Ord. Reformator. S. Francisci in declaratione ad dictam Regulam *Qui per alium facit, 72. De Regul. Jur. in 6.* ubi dat exemplum de Contritione, & de Jejunio, quam, & quod alius pro alio facere non potest, quia sunt actus personales intransitivi in aliam personam; & idem ait de actionibus Sacramentalibus. Quare non videtur isto exemplo acquiescendum in praxi; siquidem Parochus in ista hypothese potest ipse infantem ad fenestram delatum sacro lavacro abluere, vel per asperersionem aquae illum, etsi distantem, unda salutari attingere; vel Matrem docere formam proferendam, ipsam ipsi suggerendo de verbo ad verbum. Admissa tamen opinione Gobati, & antiquiorum in his necessitatis casibus, si infans evadat periculum, erit iterum sub conditione baptizandus. Coton. *lib. 2. contr. 2. c. 3. num. 43.* Diana *p. 5. tract. 3. ref. 26.* quae legitur in *Coordinato tom. 1. tract. 1. resol. 66.*

Alter casus est: Duo sunt Curati in eadem Ecclesia aequalis potestatis, cumque in ea baptizandus sit infans dives, ambo cotta, & stola induti, ad majorem solemnitatem, & simul, & eodem tempore infantem baptizant. Queritur, an valide?

Clamant DD. omnes infracitati dicentes, id esse illicitum cum S. Thom. 3. p. q. 67. art. 3. An vero sit validum Baptisma? Affirmant: vel enim unus Curatus citius altero abluit, & profert formam; & tunc iste solus baptizat & facit validum baptismum. Vel uterque (ut in casu) simul, & eodem tempore abluit, & verba complet, & pariter in hoc casu validus est baptismus; ea ratione, quia, verisimile non est, factum unius irritare factum alterius, & est simile de pluribus Sacerdotibus eam-